SENECA

quomodo in tragoediis usus sit exemplaribus Graecis,

scripsit

R. Schreiner.

Pars prior.

Programm

des

K. humanistischen Gymnasiums Straubing

für das

Schuljahr 1906/07.

Cl. Attenkofer'sche Buch- und Kunstdruckerei, Straubing.

Pars prior.

Latinis de scriptoribus ut aequum faciamus iudicium, cum ad alia multa tum ad id opus est attendere, quantum quisque hauserit ex Graecis exemplaribus et quomodo ea, quae ex iis percepit, in suum usum converterit. Huic postulationi ut satis fieret, multi homines docti id summa diligentia enitebantur, ut eorum numerum locorum, qui Latinis cum Graecis communes essent scriptoribus, in dies redderent integriorem. Quamquam illi unum ostendisse mihi videntur usos esse Romanos exemplaribus Graecorum, quomodo usi sint, non item. Attamen hoc ipsum summi momenti esse ad ingenium scriptoris penitus perspiciendum eiusque scribendi rationem melius illustrandam nemo negabit.

Quod igitur ostendere nobis proposuimus, qua ratione Seneca tragoediarum scriptor processerit in Graecorum exemplarium imitatione, grato animo utemur similibus locis maximam partem iam ab aliis congestis [1]), sed ita, ut tamquam pro fundamento eos habeamus, in quo aedificium exstruamus.

---

[1]) Braun Guil., Die Phönissen des Seneka, mus. Rhen. XX (1865) pag. 271 sq.

Braun Guil., Der Ödipus des Seneka in seinen Beziehungen zu den gleichnamigen Stücken des Sophokles und Euripides und zu Statius' Thebais, mus. Rhen. XXII (1867) pag. 245 sq.

Braun Guil., de Senecae fabula, quae inscribitur Troades, Gymn.-Programm Wesel 1870.

Braun Guil., Die Medea des Seneka, mus. Rhen. XXXII (1877) pag. 68 sq.

Grimm Rich., Der Herkules Oetaeus des Seneka in seinen Beziehungen zu Sophokles' Trachinierinnen, St. Petersburg 1876.

Werner Rud., de L. Annei Senecae Hercule Troadibus Phoenissis quaestiones, diss. Lips. 1888.

»L. Annaei Senecae tragoediae« recensuit et emendavit Fridericus Leo, Berolini 1878, vol. I., 160—183.

Ranke, Die Tragödien Senekas, in »Abhandlungen und Versuche« Leipzig 1888 pag. 21.

Ad Agamemnonem pauci Aeschylei dramatis loci afferuntur Lit. Centr. Bl. XXX (1879) col. 966.

Koehler Jos., L. Annaei Senecae tragoedia, quae Oedipus inscribitur, cum Sophoclis Oedipo rege comparata. Gymn.-Progr. Neuss 1865.

Hillebrand Jos., Aeschylus' Agamemnon und die gleichnamige Tragödie des Tragikers Seneka, Progr. d. kath. Ob.-Gymn. Hermannstadt 1859.

Helfersdorferi commentationem, Zusammenstellung der beiden Erzählungen vom Tode der Polyxena aus Euripides und Seneka, Progr. d. Gymn. z. d. Schotten Wien 1851 ut acquirerem frustra nitebar.

Neque vero in medias res ire nobis licet, priusquam materiae nobis oblatae recognitione habita emittamus ea, quibus Senecam Graecos esse secutum false statutum est.[1]) Nam ut omittamus illos Latini poetae locos in comparationem vocatos, qui quomodo ad Graeca pertineant exemplaria, quamvis cupiamus, non possimus intellegere, illud potissimum, qui contulerunt hos locos, parum respexisse videmus, quod Seneca praeter Graeca exemplaria Latina quoque ante oculos habuit. Quo factum est, ut ad Aeschylum, Sophoclem, Euripidem referrent, quae cum Horatio, Vergilio, Ovidio erant componenda. Sunt denique, quae non minus ex illis quam ex his sumpta esse videantur.

Ordiamur igitur ab Horatio.[2])

Sen. Troad. 128 sq:

»tecum cecidit (scil. patria) summusque dies
Hectoris idem patriaeque fuit.«

si de imitatione cogitandum est, vel ideo quod de cantici loco agitur ad Hor. carm. II 4, 9 referendos censeo:

»barbarae postquam cecidere turbae
Thessalo victore et ademptus Hector,
tradidit fessis leviora tolli
Pergama Grais«[3])

non ad Eur. Hec. 21 sq:[4])

„ἐπεὶ δὲ Τροία θ' Ἕκτορος τ' ἀπόλλυται
ψυχὴ πατρῴα θ' ἑστία κατεσκάφη."

Ceterum huius sententiae archetypum, ut ita dicam, vix esse statuendum, loco a Liedloffio[5]) (p. 10) allato comprobatur, dico

[1]) Braunium imprimis, etsi laus ei debetur propter magnam in locis conferendis industriam, tamen minore quam opus erat subtilitate in ea re usum esse iam alii notaverunt. cf. Werner l. c. pag. 22; Pais Alfr., il teatro di L. Anneo Seneca, Torino 1890 pag. 28; idem riv. di filol. XVI (1888), 279.

[2]) Spika J., de imitatione Horatiana in Senecae canticis chori, Progr. Vindob. 1890.

Zingerle Ant., zu späteren lateinischen Dichtern, I. Innsbruck 1873.

[3]) Spika l. c. p. 11; cf. Harder Fr., Bemerkungen zu den Tragödien des Seneka (Festschrift f. Vahlen), Berlin 1900 p. 452.

Sudhaus ad Aetn. 591 (pag. 209.)

[4]) In Euripidis locis afferendis secutus sum Nauckii recensionem, in Sophocle Schneidewini et Nauckii, in Aeschylo Wecklini. Senecae versuum numeri ad Leonis recensionem referendi sunt.

[5]) Liedloff Kurt, Die ~~Benützung~~ griechischer und römischer Muster in Senekas Troades und im Agamemnon. Progr. Grimma 1902.

Archiae epigr. Anth. III, 14, 19 B: *„Ἕκτορι μὲν Τροίη συγκάτθανεν.“*

Contra Sen. Med. 579 sq:

»[Nulla vis flammae tumidive venti
tanta, nec teli metuenda torti]
quanta cum coniunx viduata taedis
ardet et odit.«

cum Hor. carm. I 25, 11 sq. (Spika l. c. pag. 17) nihil habent commune; componuntur rectius cum Eur. Med. 265 sq.:

„ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μαιφονωτέρα.“[1])

Ad Sen. Ag. 73—76 Spika l. c. pag. 33: »adhibitum est carmen Hor. II 16, 16—17.« Quod etsi nolo infitiari, tamen illud »curarum somnus domitor« (v. 75) e Graeco expressum esse affirmem:

„ὁ πανδαμάτωρ καὶ παγκρατὴς ὕπνος“ (Hom. Odyss. *ι* 373); *„ὕπνος πανδαμάτωρ“* (Il. *Ω* 5).

Conferas quoque Sen. Herc. fur. 1065:
»o domitor somne malorum.«

Ex Sen. Ag. 75—89, qui »nihil sunt nisi versus Horatiani subfrigide aucti atque immutati carm. I 34, 12—13« (Spika p. 33), versus 83 ad Aeschyl. Ag. 469 sq. compositus est.

Sen.: »quaeque superbos urit Erinys«

Aeschyl.: *„καὶ δ' Ἐρινύες χρόνῳ,*
τυχηρὸν ὄντ' ἄνευ δίκας
παλιντυχεῖ τριβᾷ βίου
τιθεῖσ' ἀμαυρόν“ . . .

Versus 96 autem originem ut omnium, qui circa sunt, apud Hor. carm. II 10 inveniemus neque ad Aeschyl. Ag. 475, ultro plane corruptum [2]) recurremus (Lit. Centr. Bl. XXX [1879] col. 966).

---

[1]) cf. Buehler: Ähnlichkeiten und Verschiedenheiten der Medea des Euripides, Seneka und Corneille, Progr. Donaueschingen 1876 p. 14.

[2]) Vid. Aeschyli Agamemnon, rec. Simon Karsten, comment. crit. ad vs. 412 sq.

Ut ad Vergilii imitationem transeamus,[1]) Senecam in Troadum versibus 44 sq., licet non ignoraverit Eur. Troad. vs. 16 sq. a Braunio allatos, secutum esse Aen. II, 550 sq.[2]) ex locorum comparatione apparebit.

Sen. Troad. 44 sq.:

»Vidi execrandum regiae caedis nefas
Ipsasque ad aras maius admissum scelus
†Aeacis armis, cum ferox, scaeva manu
coma reflectens regium torta caput
alto nefandum vulneri ferrum abdidit.«

Verg. Aen. II, 550 sq.:

»Hoc dicens altaria ad ipsa trementem
traxit et multo lapsantem sanguine nati
implicuitque comam laeva dextraque coruscum
extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.«

Eur. Troad. 16 sq.:

*„πρὸς δὲ κρηπίδων βάθροις
πέπτωκε Πρίαμος Ζηνὸς ἑρκείου θανών.“*

Et Graeci et Latini poëtae versus Seneca in usum suum convertit Troad. 15 sq.:

»en alta muri decora congestis iacent
tectis adusti, regiam flammae ambiunt
omnisque late fumat Assaraci domus.«

v. 19:

»Diripitur ardens Troia«

Respondent:

Sen.: alta decora = Verg. Aen. II, 448: decora alta (Romeny p. 36)
Sen.: Diripitur ardens Troia = Eur. Troad 8: *πορθηθεῖσ'* (scil. *πόλις*)
(Vide quoque Verg. Aen. I, 284: »domus Assaraci«)

Ad Sen. Ag. 416 sq. attulit Ranke Aeschyl. Ag. 641. Sed hic Vergilium (Aen. II, 3 et imprimis II, 12) praebuisse exemplum ostendit Romeny p. 42.

---

[1]) Ter Haar Romeny, de auctore tragoediarum, quae sub Senecae nomine feruntur, Vergilii imitatore, diss. Leyden 1887.

[2]) Romeny p. 10 — cf. Strauss Fr., de ratione inter Senecam et antiquas fabulas Romanas intercedente, diss. Rostock 1887 p. 31.

Legimus apud Euripidem Her. fur. 517:

„εἰ μή γ' ὄνειρον ἐν φάει τι λεύσσομεν".

Huc duo Senecae versus referri posse videntur:

Herc. fur. 618: »Utrumne visus vota decipiunt meos«.

et 623: »an vana fruor
deceptus umbra?«

Si vero orationis contextum respexeris, sic versum e versu Senecam ad Euripidis fabulam condidisse videbis:

	Sen.		Eur.
623:	teneone in auras editum an vana fruor deceptus umbra?	516 sq.:	ὅ δ' ἔστιν, ὃν γῆς νέρθεν εἰσηκούομεν; εἰ μή γ' ὄνειρον ἐν φάει τι λεύσσομεν.
624 sq.:	agnosco toros.	519:	οὐκ ἔσθ' ὅδ' ἄλλος ἀντὶ σοῦ παιδός, γέρον.

Versum autem Senecae 618 cum hic non ita bene inserere possimus, haud scio an ad Vergilii illam sententiam redigamus, quam Wilamowitz-Moellendorff ad Euripidis v. 517 affert. (Euripides Herakles II¹, 151). Dico Verg. ecl. VIII, 108:

»cernimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.«

Restat ut, quoad quidem huc pertineat, pauca disseramus de ratione intercedente inter Senecam et illum Augusti aevi poëtam, quocum orationis quadam affinitate artissime erat coniunctus, Ovidium. Quod cum neminem fugere posset, qui hac de re ageret, tamen non defuerunt, qui locos Ovidio debitos ad Graecum poëtam referrent aut interdum ab utroque Senecam aliquid mutuatum esse poëta non viderent.

Atque in Medea quidem difficillimum esse fines certos statuere imitationis ex eis, quae Braunius (mus. Rhen. XXXII [1877]) atque Leo (I, 166 sq.) attulerunt, cognosci potest. Neque tamen ille Sen. Med. 123 sq. cum Eur. Med. 400 sq. debuit comparare. Quod vero idem eosdem versus melius cum Ov. her. XII, 209 sq. composuit, omnino ad certum poëtam non esse eos referendos censeo. Nam ut »feror partes in omnes« (123, 124) locutio est ex antiquissimis temporibus sescenties variata (Senecam ipsum variasse videmus apud Leonem I, 167), ita »incerta vaecors mente vaesana«, si cuOvidiim

»Viderit ista deus, qui nunc mea pectora versat« (her. XII, 211) Braunius confert, eodem iure Vergilianum illud »plena deo« [1]) exemplar fuisse dixerit (cf. Sen. Med. 382 »entheos gressus«)[2]).

Solus autem Ovidius Senecae hisce versibus ob oculos versatus esse videtur:

Sen. Med. 118 sq.:

»hoc facere Iason potuit erepto patre
patria atque regno sedibus solam exteris
deserere durus?«

Conferas Ov. her. XII, 161 sq.:

»deseror, amissis regno patriaque domoque. . .«

Sensum, qui in his versibus inest, apud Euripidem quoque non semel inveniri natura fert. Cf. Eur. Med. 253 sq. et 798 sq. Qui vero spectaverit similitudinem constructionum, singulorum usum eorundem apud utrumque vocabulorum, quin Ovidii locus a Seneca hic sit usurpatus minime dubitabit.

Addit paucos duodecimae Ovidii heroidis locos Antonio Cima, La »Medea« di Seneca e la »Medea« di Ovidio (Atene e Roma 1904 [VII] col. 227). Neque tamen Senecae Medeae versus 209 sq. cum Ov. heroid. XII, 27 sq. debuit componere. Fuit enim exemplum Eur. Med. 405.

Contulit denique plures locos fabulae Annaeanae non solum cum duodecima Ovidii epistula, sed etiam cum ceteris huius poëtae operibus Braunius mus. Rhen. XXXII (1887).

Ac Leo quidem »inter Ovidii epistulam et Senecae tragoediam affinitatem quandam interesse« negare non potest. Sed ex ea re, quod Ovidium non multo ante heroidum compositionem (am. II 18, 21 sq.) tragoediam suam condidisse scimus (ibid. v. 13), quodque »nemo nescit Ovidium non singulos tantum versus, sed totos locos ex uno in alterum carmen interdum ita transtulisse, ut eandem rem similibus verbis iterum narraret«, hanc facit conclusionem: »Itaque simplici nec, si quid video, improbabali conclusione eo perducimur, ut

---

[1]) Vergilianum esse testatur Seneca pater suas. III, 5. Hoc vero de »loco intricatissimo« conferas praeter Leonem I, 166 adnot. 8 Norden, Hermes XXVIII, p. 506 sq.

[2]) Neglexit labores in hac re a viris doctis exhaustos Fridericus Weege Berl. ph. W. XXVII (1907) col. 516.

affinitatem, quam Senecae tragoediae cum Ovidii epistula esse cognovimus, ad tragoediam potius Ovidii referendam esse statuamus.« (I, 169)[1]).

Subtilius vero conclusum quam rectius! Nam in earundem vel similium rerum descriptionibus maximeque narrationibus ex mythologia depromptis eadem interdum reverti vocabula sententiasque variari non apud Ovidium solum — sit licet saepius apud eum propter argumentorum naturam — sed apud omnes scriptores plus minus invenimus. Atque in universum mihi aestimanti illud criticae artis genus, quo a certis manifestisque ut deflectamus vestigiis perducimur incertasque sectemur atque inanes coniecturas, pravum atque inutile esse videtur. Accedit quod Senecam non in Medea solum, sed in aliis quoque fabulis, imprimis in Hercule Oetaeo, quem vocant, ex Ovidii metamorphosi hausisse videbimus.

Sed haec quidem hactenus. Venimus ad Oedipum tragoediam, ubi Senecam versum 56 ad Ov. met. VII, 611 fecisse (non, ut Braunius vult, ad Soph. Oed. tyr. 29 sq. vel 180 sq.) facile tibi persuadebis, si versuum collationem cognoveris a Richtero mus. Rhen. XIX (1864) p. 379 institutam, unde totum illum locum cum Ovidio concinere apparet.

Variam denique Annaeanae imitationis rationem ex Herculis Oetaei cum exemplaribus comparatione licet perspicere. Hic enim tum Ovidii heroidas et metamorphoseis sequitur, tum Sophoclis Trachinias, neque eiusmodi loci desunt, ubi utriusque poëtae versus promiscue in suum usum convertat.

Hoc accuratius debuit respicere Richardus Grimm, cum haud inepte Herc. Oet. 803 sq. ad Soph. Trach. 787 sq. rettulit. Versus enim 805:

»hinc omne voces reddit Herculeas nemus«,

spectat ad Ov. met. IX, 165:

»Implevitque suis nemorosum vocibus Oeten«.

Item versuum 364 sq., ubi nutrix alias quoque Herculem dilexisse antea nuptas et virgines monet Deianiram, ex Soph. Trach. 459 sq. originem esse ducendam facile concedas. In singulorum autem enumeratione amorum Ovidium praebuisse materiam (her. IX. 47 sq.) iam vidit Melzerus.[2])

[1]) Probavit Schanz G. d. R. L. II², 1. 230.

[2]) »De Hercule Oetaeo Annaeano« scripsit P. Melzer, Prgr. Chemnitz 1890 p. 16 adnot.*)

In earum vero, quas cum Acheloo flumine conseruit Hercules, pugnarum descriptione (vs. 300 sq. et 496 sq.) Senecam ita adhibuisse Sophoclis Trach. vss. 9 sq.; 19 sq.; 507 sq., ut ex Ovidio quoque singula depromeret (Ov. met. VIII, 879 sq., IX, 80 sq.) recte ostendit Grimmius l. c. pag. 17/18.

Idem pag. 40: »Wir kommen jetzt zu zwei Stellen, welche ich deshalb für bemerkenswert halte, weil sich an ihnen das Verfahren unseres Dichters am deutlichsten erkennen lässt: das im Original Zusammengehörige zu trennen und doppelt zu verwerten.«

Atque hac quidem ratione nonnunquam usum esse Senecam negari non potest, in locis a Grimmio allatis dubito an non sit usus. Nempe illi ad mythologiam pertinent (de Herculis enim agitur rebus gestis), quam e sescentis fontibus haurire licuit scriptoribus Latinis. Nam ut omittam homines Alexandrinos, qui mirum quantum praebebant,[1]) haud unum fabularum compendium poëtas illos in manibus tenuisse compertum habemus,[2]) ut haud sciam an non singulatim persequi possimus, quam quisque habeat originem versus ad mythologiam respiciens.

Quamquam non dubito Sen. Herc. Oet. 1193 sq. atque 1203 cum Grimmio ad Soph. Trach. 1089 referre, sed ita, ut Ovidii singulas sententias admixtas esse dicam[3]). Convincit enim illud, quod eadem gesta eodem ordine referuntur, si solum excipis Erymanthium aprum.

Contra Senecam eundem Sophoclis locum ante oculos habuisse in versibus 1231 sq. et 1236 sq. non minus nego quam in ceteris locis, quibus Herculei labores memorantur[4]).

Ceterum, ut Senecam eundem Graeci poëtae locum bis usurpasse cognoscamus, liceat comparare:

Soph. Trach. 1078 sq.:

„ὦ Διὸς ἀκτίς, παῖσον,
ἔνσεισον, ὦναξ, ἐγκατάσκηψον βέλος,
πάτερ κεραυνοῦ.“

---

[1]) Composuit complures Medeae versus Annaeanae cum Apollonio Rhodio F. Pasini in Atene e Roma V (1902) col. 567 sq., ita tamen, ut vix quidquam certi inde possis colligere.

[2]) Vid. M. Schanz Gesch. d. röm. Lit. II [2], 2 p. 115 adnot. 2.

[3]) Conferas: Herc. Oet. 1193: Nemea pestis
Ov. her. IX, 61: Nemei mali
Herc. Oet. 1204: Hibera turba pastoris feri
Ov. met. IX, 184: pastores Iberi.

[4]) Vid. Melzer l. c. pag. 10.

Sen. Herc. Oet. 1301:
»unicum fulmen peto«
Sen. Herc. Oet. 1278:
»unde nunc fulmen mihi?«

item: Eur. Hec. 280 sq.:
„ἥδ' ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχή,
πόλις τιθήνη βάκτρον ἡγεμὼν ὁδοῦ."

Sen. Troad. 703 sq.:
»miserere matris: unicum adflictae mihi
solamen hic est«

Sen. Troad. 960 sq.:
»sola nunc haec est super
votum, comes, levamen afflictae, quies.«

Licet hic adiungere non minore quam in mythologia cura in proverbiis conferendis esse utendum atque locutionibus similis argumenti.

Ut Sen. Med. 494:
»Gravis ira regum est semper.«
quamquam ad verbum fere concinit cum Eur. Med. 119:
„δεινὰ τυράννων λήματα"
ex Euripide illud expressum esse minime dixerim. [1])

Relinquuntur denique duo nobis loci ad inspiciendum, priusquam aliquid novi aggrediamur, Herc. Oet. 821 et ibid. 576 sq.

Atque ille quidem versus utrum ab Soph. Trach. 780 an Ov. met. IX. 226 sq. originem duxerit, in medio relinquendum censeo. [2])

Versum autem 576 non, ut voluit Grimmius, cum Soph. Trach. 604 sq., sed cum Ov. met. IX, 159 esse componendum, nemo infitiabitur.

Sen.:
»non ante coniunx induat vestes iube
quam ture flammas pascat et placet deos.«
Ov.:
»Tura dabat primis et verba precantia flammis.«

---

[1]) cf. »Sentenzen in Senekas Tragödien« zusammengestellt v. Franz Kunz, Progr. Wiener Neustadt 1896/97 pag. 6.

[2]) cf. Schneidewin-Nauck ad Soph. Trach. 780.

Quodsi quis iniuste Herculem Oetaeum pari modo atque ceteras tragoedias in disputationem vocari mihi obiciat quippe Senecae si non totum, attamen magnam partem abiudicandum, Graecorum quidem imitationis ratione infra habita non inveniemus, cur hanc quoque tragoediam a Seneca esse conditam negemus. Quae vero Leo, Melzerus aliique multi repetunt sive a latinitate sive a singulorum interpretatione locorum sive a re metrica, ut alius aliam fabulae partem non esse genuinam demonstrent, haec omnia haud mediocri cura ac diligentia refellit Aemilius Ackermann (De Senecae Hercule Oetaeo, Philologus, Suppl. X, 3 [1906]; cf. Lit. Centralbl. 1903, 26, 881).

Quibus praemissis unum accuratius mihi tractandum esse censeo, quae fuerit ratio inter Senecam et antiquas fabulas Romanas intercedens.

Ribbeckius enim cum in libro, qui inscribitur: »Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik«, nonnullos locos Annaeanos cum antiquis tragoediarum scriptoribus composuisset atque id fecisset sine lata explicatione tamquam ut necessarium aliquid, hanc sententiam Fridericus Strauss nullo modo stare posse libro supra memorato demonstrare volebat.[1])

Est autem hoc fere fundamentum, quo nixus ille defendit sententiam suam:

Abhorrebant cum omnino mores atque consuetudines eius, quae argentea vocatur, aetatis a veterum Romanorum simplicitate tum litterarum studia a prisca archaicorum, quos vocant, scriptorum ratione dicendi. Quare si scriptores rhetorica arte imbuti contemnebant veterum libros ut obsoletos minimeque ad elegantiae leges compositos, qui fieri potuit, ut Seneca, praestantissimi illius rhetoris filius, dux et princeps recentioris stili appetentium eorumque tamquam propugnator contra omne usitatum atque cotidianum scribendi genus, qui fieri potuit, ut idem, qui formam et eventum ipsi rei praeferenda esse

[1]) Ceterum illum ipsum, cuius auspiciis Straussius subiit hanc curam (Strauss p. 1), Leonem, contrariam ac Ribbeckium habuisse sententiam et ita Straussio tamquam viam monstrasse, quae ei esset eunda, apparet ex Leonis recensione I, 272. Profert enim hic Sophoclis Polyxenae frg. 478, quod »animae Achillis« tribuendum esse constat. Tum pergit: »quo (i. e. ad hoc Sophoclis fragmentum) pertinere Accii Troad. frg. 2 v. 479. 80 et fortasse frg. inc. inc. 38 recte statuit Ribbeckius (röm. Trag. p. 417); itaque Seneca v. 184—370 ad Sophoclis exemplum se applicuisse videtur.« Ergo Seneca ut Accium vel alium veterum Romanorum poëtarum imitaretur fieri potuisse Leoni omnino non in mentem venit.

profiteretur (Ep. 100), duros lentosque proavorum libros depromeret, quippe qui nusquam acerbissimis verbis veterum se contemptorem praebere omitteret. [1]) Illos vero locos, qui cum archaicis Senecae scriptoribus communes esse videntur, magnam partem apud posteriores quoque invenimus, Ciceronem, Vergilium, Ovidium, ut inde eos a Seneca sumptos esse luce sit clarius. Ubi vero hoc non invenimus, Graecum aliquod exemplum non veteribus solum scriptoribus, sed ipsi quoque Senecae ante oculos versatum esse censendum. Ergo ne legisse quidem Senecam illos consentaneum est.

Atque haec quidem Straussii sententia. Quam aptam esse ad fidem faciendam atque blandam quodammodo videri primo aspectu ne ego quidem negabo. Attamen quod nemo fere eorum, qui maiorem curam Senecae et argenteae latinitatis universae aetati tribuunt, ad aliud pervenit iudicium, miror. [2])

Numquam velim id obliviscamur non ut in arena ita in litteris quoque cancellos esse ductos, quos ultra progredi non liceat. Neque enim, quod aureae illis temporibus, his argenteae aetatis nomen indidimus, ob eam rem separata inter sese atque seclusa esse illa spatia opinabimur. Bene igitur monuit R. Ehwald, [3]) »quam continua serie litterarum monumenta inter se cohaereant quantumque exemplar semel fictum, si modo aliquid praeclari in eo inerat, ad posteriores valuerit, praesertim apud veteres, quibus formae semel procreatae in omni artium litterarumque genere quasi typicae fiebant . . . «

»At ne legit quidem Seneca veterum tragoedias.« Quod qui dicit, cum laudare vult poëtam, vituperare videtur. Quis enim, qui vel mediocrem habeat cognitionem ingenii atque morum illius viri, talem eum fuisse censet, ut ea, quae ne legit quidem, sed paucis

---

[1]) Affert Straussius locos huc pertinentes et a Gellio N. A. XII, 2 collectos. cf. Bernhardy G. d. r. L. 1857 [3] adnot. 212; 213; 218; 303.

[2]) Conferas exempli causa Wochenschrift f. klass. Philol. VI (1889), 21, col. 577 sq.

Plane perperam Pais iudicare mihi videtur (il teatro di L. Anneo Seneca p. 99), qui Agamemnonem Senecae abiudicandum esse inde concludit, quod, qui Agamemnonem condiderit, et Graecum et archaicum secutus sit exemplar, id quod Senecae ipsius moribus alienum sit. Senecae scilicet imitatorem archaicos usurpasse poëtas nihil impedit, quominus credamus, ipsum illud fecisse magistrum minime potest concedi. Ut silentio praeteream totam opinionem, qua separatur a ceteris tragoediis Agamemnon (exceptis scil. Octavia et Hercule Oetaeo), vetustiorem esse atque obsoletiorem, quam ut anno 1890 p. Chr. n. eam liceat recoquere.

[3]) R. Ehwald, Ad historiam carminum Ovidianorum recensionemque symbolae. Gothae 1889 p. 5.

fortasse locis ab aliis allatis leviter attigit, non semel, sed iterum iterumque vituperaret atque castigaret?

Neque vero illius aetatis homines ita abalienati erant a priscorum studiis librorum, ut plane eos oblivione obrutos fuisse putemus. Rectissime enim iam Bernhardy (G. d. r. Lit.[3] p. 284 adnot. 213) illos secundi p. Chr. n. saeculi scriptores, qui ceteris neglectis tantum Livios Paccuvios Accios imitatione dignos esse praedicarent, non tamquam e caelo decidisse vel e solo erupisse vidit.

Etiamsi igitur Welckeri opinio, qua veterum tragoedias Senecae quoque aetate in scaenam productas esse contendit (mus. Rhen. suppl. IIc p. 1445), num vera sit, in medio relinquemus [1]), at certe Persius sat. I, 75 quam clarissime veterum suae aetatis studium ostendit. Quod et ipse Seneca ep. CXIV, 13 affirmavit.

In Suetonii autem de M. Val. Probo Berytio verbis: »legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum memoria necdum omnino abolita sicut Romae« (de gramm. 24) illud »sicut Romae« non tam veritati respondere quam ad concinnitatem observandam in exitu sententiae appositum esse videtur (in provincia — sicut Romae). Nimis ad verbum hunc locum interpretati esse videntur cum Julius Steup (De Probis grammaticis, Jenae 1871 p. 64 sq.) tum Fridericus Leo (Plautinische Forschungen p. 21 sq.). Qui ipse l. c. p. 26 adnot. 3 concedit: »Ich weiss keine Erklärung dafür, dass diese Bücher in den öffentlichen Bibliotheken nicht aufbewahrt wurden.«

Deinceps quod reprehendit Seneca archaicos scriptores, minime est, cur nihil ex eis illum hausisse dicamus. Immo vero si laudasset eos, miraremur. Nam si consideras illa aetate in litteris factiones invidia inter sese contendisse atque ira non minore quam antea fecerant sub finem liberae reipublicae in eis, quae ad civitatem pertinerent, rebus, Senecam, ut qui primas partes ageret inter victores rhetorici generis assectatores, vitia adversariorum ita in lucem proferre debuisse, ut virtutes non praedicaret, facile intelleges.[2]) Ut Horatium quoque non semel Lucilii rationem scribendi constat

[1]) Argumenta a Welckero allata non sufficere ad causam probandam censet Bernhardus Schmidt mus. Rhen. XVI, pag. 591 adnot.; cf. Albr. Dieterich, Pulcinella, Lipsiae 1897 p. 107.

[2]) Ad illustrandam hanc opinionem non nullius momenti esse censeo Suetoni locum in vita Neronis 52: »A cognitione veterum oratorum Seneca praeceptor (scil. Neronem avertit), quo diutius in admiratione sui detineret«.

vituperasse. Sed erant eae illius res atque condicio, ut libere virtutes quoque agnosceret. Quod etiamsi non fecisset, nihilominus non potuit eum plane neglegere.[1] Nam a natura quodammodo ita constituti sumus, ut, quae nobis maiores reliquerunt, sint licet non ab omni parte perfecta atque absoluta, ea recipiamus et plus minus imitemur.[2] Quid quod Aristophanes, Euripidis ille contemptor atque irrisor, ita non potuit nihil ex eo sumere, ut Cratinus propter ipsius Euripidis imitationem eum exagitaret?[3]

Ita Senecam quoque in prosa oratione, vel, ut accuratius dicam, in eis, quae ad philosophiam pertinent, scriptis non ex veteribus hausisse facile Straussio assentiemur. Nihil enim in philosophia veteres valuisse Romanos, omnia Graecos homines nemini non constat. Tragoedias autem si quis condere volebat, necessario quodam modo ad veteres fabularum scriptores redire debebat. Nam ut Augusti quidam aevi poëtae reverterint ad tragoediarum compositionem, tamen tempora non reverterunt secunda huic poëticae artis generi, neque prae liberae reipublicae tragoediis illis posterioribus magnam licet vim attribuere.

»At fuit ab omnibus partibus novum fabularum genus tragoedia Ovidii, Varii, Senecae, ad novas artis rhetoricae leges elaborata, tragoedia rhetorica«. Est vero hoc illud, quo omnes fere in hac re versati, cum nimia fiducia accepissent Leonis significationem perverse intellectam, ad errores perducerentur. Liberius idemque verius iudicium Pais fecisse videtur, cum l. c. p. XII, XIII dicit haec: »Ora tutti questi caratteri che secondo il Leo si trovano nelle tragedie di Seneca e che sarebbero derivati dai primi autori di tragedie retoriche, credo che sieno sempre stati, più o meno, proprii di tutte le tragedie latine di ogni epoca, eccezion fatta e del »Tieste« di Vario o di qualche altra forse. Benchè però i drammi dei poeti

---

[1]) Victor Zawadzki, quatenus in satiris Horatius videatur imitatus esse Lucilium, diss. Halle 1880.

[2]) Cf. Sen. ep. 84, 10: »cum omnes vias ordo canentium inplevit et cavea aenatoribus cincta est et ex pulpito omne tibiarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis: talem animum nostrum esse volo: multae in illo artes, multa praecepta sint, multarum aetatum exempla, sed in unum conspirata«.

[3]) Cratinus frg. 307 Kock; Meinecke II, 225 frg. 155:

„τίς δὲ σύ; κομψός τις ἔροιτο θεατής·
ὑπολεπτολόγος, γνωμοδιώκτης, εὐριπιδαριστοφανίζων.

tragici dell' età d'Augusto potessero essere infetti della pece retorica, pure questo difetto non era portato al punto da farne un genere letterario opposto e distinto dai drammi di Pacuvio o di Accio.« [1])

Obicitur autem acta fuisse acturum Senecam, si Graecorum tragoedias in deterioribus veterum Romanorum versionibus relegisset. Atque hos quidem minime in tragoediis scribendis eam secutos esse rationem, ut Graecarum fabularum tamquam verbum ex verbo exprimerent, vel ex eis, quae Pais disseruit, colligi potest. Sed multo ante eum fusius atque accuratius hanc rem tractavit Th. Ladewigius, analecta scenica Progr. Neostrelit. 1848 pag. 7—11. Et post eum Carolus Schulte monuit ingenium atque mores tragoediae Annaeanae in summa temporum et consuetudinum varietate eadem mansisse quae apud archaicos tragoediarum conditores.[2]) Accedit quod ei, qui in litteris rebus novis student, ut nova atque insolita proferre videantur, verba obsoleta et oblivione obruta ab ultimis temporibus repetere solent. Ita Senecam, contemptorem veterum, eorum locutiones minime aspernatum esse ostendit Bernhardus Schmidt, Zur römischen Tragödie, mus. Rhen. XVI (1861) p. 589 [3]).

Priusquam autem ad singula transeamus, statuendum videtur nonnulla Senecam non ab ipsis archaicis poëtis sed a posterioribus sumpsisse, imprimis ab Ovidio. Hunc ipsum vero illos esse secutum Straussius, ut sibi constet, non debet concedere (l. c. p. 6 adnot.). Videamus unum.

inc. inc. frg. 93 v. 165 sq. (quos ad Accii Medeam rettulit Ribbeckius hist. trag. 535):

»postquám pater
Adpropinquat iámque paene, ut cómprehendatúr parat

---

[1]) Idem Pais pag. XI Varii Thyestem in tragoediae rhetoricae quae dicitur genere numerandum esse negat. Non enim, si hoc ita esset, fieri potuisse, ut Quint. X, 1, 98 eum laudibus efferret, Ovidii iuxta intemperantiam dicendi vituperaret.

[2]) Carol. Schulte, Bemerkungen zur Senekatragödie, Progr. Rheine 1886. — Singulas rhetoricae artis proprietates iam apud veteres inveniri monstravit Morawski, rhetorum Romanorum ampullae, Cracoviae 1901 p. 14 not. 1. et praesertim p. 16 not. 1.

Novissime autem hanc rem confirmavit Gustave Michaut, »le génie latin« Parisiis 1900 (cf. p. 157 sq.; p. 181 adnot. 1; p. 202).

[3]) cf. L. Müller in N. J. f. Philol. 89 (1864) p. 412 et 419. — Werner l. c. ag. 50 monstravit vocabulum c l e p e r e ab antiquis depromptum non esse corrigendum Herc. fur. 799.

Studio exquisitarum nitoris sententiarum ad Sallusti quoque libros perductos esse scriptores argenteae quae dicitur aetatis docet Morawski, »de sermone scriptorum Latinorum aetatis, quae dicitur argentea, observationes«, Eos 1895 pag. 1.

Púerum interea optrúncat membraque árticulatim díuidit.
Pérque agros passím, dispergit córpus: id ea grátia
Ut, dum nati dissupatos ártus captarét parens,
Ípsa interea effúgeret, illum ut maéror tardarét sequi,
Sibi salutem ut fámiliari páreret parricídio.«

Cum hoc fragmento componas Ov. trist. III, 9. 26 sq.

»Innocuum rigido perforat ense latus
Atque ita divellit divulsaque membra per agros
Dissipat in multis invenienda locis.«

31. »Ut genitor luctuque novo tardetur et, artus
Dum legit extinctos, triste retardet iter.«

Quodsi illud »divulsaque membra per agros dissipat« similibus locis similibus variatur vocabulis[1]), nihil habet, cur mireris. Quid enim aliud dicere potuit, qui hanc rem narraret? Ad unam vero omnes partes quod et apud Ovidium et in inc. inc. fragmento eodem modo eodemque ordine sequuntur, nisi vetus illud exemplum ante oculos habuisse Ovidium concedes, explicari non potest. Conferas quaeso inter sese:

inc. inc. fragm. 93	Ov.
optruncat	perforat ense
membraque — diuidit	ita divellit divulsaque
perque agros — dispergit	per agros dissipat
dum nati dissupatos artus captaret parens	artus dum legit extinctos
illum ut maeror tardaret sequi	ut genitor luctuque novo tardetur.

[1]) Ov. her. VI, 129:
»spargere quae patris potuit lacerata per agros
corpora«

id. Ibis 434:
»et tua sic latos spargantur membra per agros«

Sen. Med. 452 sq: ». . . . quaeque fraternus cruor
perfudit arva?«

Sen. Med. 132 sq:
»virginis parvus comes
divisus ense, funus ingestum patri
sparsumque ponto corpus. . . . .«

Atque Straussius quidem, qui hic Ovidii locum exscribere omittit, pag. 36 haec tantum: »atque Tristium illi versus«, inquit, »licet fragmento perquam similes sint, ex eo descriptos esse Burmannus in adn. ad versus istos nemini probabit.« Mihi quidem, fateor, probavit idque eo magis, quod Ennio quoque non nihil debere Ovidium ostendit Zingerle A., Ovid und sein Verhältnis zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern. 2. Heft, pag. 2, Innsbruck 1871. Cf. R. Ehwald, ad historiam carminum Ovidianorum recensionemque symbolae. Gothae 1892, p. 12.

Jam ad singula transeamus. Hic, quae sunt exiguae veteris tragoediae Romanorum reliquiae, parvus tantum fragmentorum numerus in comparationem vocari potest. Locorum enim, quos Straussius in suam causam vertere studuit, magna pars eius modi est, ut nihil omnino inde colligi possit. Ut exemplum afferam, in Senecae Troadibus Calchantem certo ad Sophoclem referendum esse ille affirmat (l. c. p. 26), id quod pateat e Soph. frg. 31 et Acc. Astyan. frg. 5. Graecum vero illud fragmentum quantum valeat, inde licet concludere, quod alterum eius versum non Sophoclis, sed comici poëtae esse putat Nauckius.[1])

Aliis locis Senecam propius ad Ovidium, Vergilium quam ad veteres poëtas accedere non nego, aliis Graecorum exemplum Latino expressiora praebere concedo vestigia, quae Seneca sit secutus. Neque desunt, quibus non ex uno alterove fonte, sed ex pluribus hausisse potuerit, neque, ubi tam nulla sit similitudo, ut neutrum exemplar respexisse videatur.

Quibus omnibus praetermissis nihilominus versus relinquuntur, quos qui incorrupto atque integro animo contempletur, fieri non potest, quin a veterum illos tragoedia originem ducere affirmet.

Sen. Med. 176:

»fortuna opes auferre, non animum potest«

Acc. Teleph. VI, 619 sq:

»nam si a me régnum Fortuna átque opes
Erípere quiuit, át uirtutem néc quiit«

---

[1]) Servavit nobis fragmentum Harpocratio (p. 28, 13 Bekker), qui ad Sophoclis Aichmalotidas versus pertinere dicit.

Eur. frg. 1065 N.:

„ἡ τοῖς ἐν οἴκῳ χρήμασι λελείμμεθα,
ἡ δ' εὐγένεια καὶ τὸ γενναῖον μένει."

Tantam hic Accii ac Senecae similitudinem esse opinor, ut longiore supersedere mihi videar posse argumentatione.

Sequantur duo exempla, ubi Straussius singula verba singulasque locutiones alicubi quoque monstrat inveniri. Ex ea vero ipsa re concludere de mutuatione dici non posse absurdum est. Valet enim plus singulis vocabulis rerum contextus. Non ergo ex quibuscumque locis consuisse scriptorem aliquam sententiam affirmabimus, cum eosdem locos in uno exemplo coniunctos habebimus.

Ad Liv. Andron. Aegisth. frg. I.:

»nam ut Pérgama
Accénsa et praeda pér participes aéquiter
Partíta est.«

iam ante Ribbeckium (Tr. R. p. 28) Henricus Duentzer[1]) contulit

Sen. Ag. 421 sq.:

»Ut Pergamum omne Dorica cecidit face,
divisa praeda est.«

Vocabula »accendere«, »cadere« alios quoque poëtas in Troiae excisionis descriptione adhibere luce clarius. (Attulit Straussius Ov. met. XIV, 466 sq., Verg. Aen III, 1 sq.). Hic autem si cum eundem similium vocabulorum ordinem tum aequale apud utrumque initium (Liv.: »nam ut Pergama« — Sen.: »ut Pergamum«) respicis, non nisi ratione quadam imitandi tantam similitudinem fieri posse concedes.

Idem cadit in: Liv. Andron. Aegisth. frg. II et Sen. Ag. 449 sq.

Liv.:

»Tum autém lasciuum Nérei simúm pecus
Ludéns ad cantum clássem lustratúr.«

Sen.:

»tunc qui iacente reciprocus ludit salo
tumidumque pando transilit dorso mare

---

[1]) Henricus Duentzer, L. Livii Andronici fragmenta collecta et illustrata, diss. Berol. 1835, p. 26.

Tyrrhenus omni piscis exultat freto
agitatque gyros et comes lateri adnatat,
anteire naves laetus et rursus sequi;
nunc prima tangens rostra lascivit chorus,
millesimam nunc ambit et lustrat ratem.«

Longum est atque inutile repetere omnes locos, quibus in re simili similia vel eadem vocabula adhibentur. Enumeravit eos Straussius l. c. p. 50 et Duentzerus l. c. p. 27 sq.

Mihi vero Seneca ita Liviano loco usus esse videtur, ut amplificaret et exornaret singula exempli vocabula, id quod apud hunc ipsum poëtam sescenties invenimus. Neque hic quidem spernendum est, quod apud utrumque poëtam adverbium »tum« sententiam incohat.

Libet componere Sen. Thyest. 992 sq. cum Acc. Atr. frg. XIII, quamquam de imitatione hic non cogitandum esse censet Straussius l. c. p. 76.

Sen.:

»quid hoc? magis magisque concussi labant
convexa caeli;«

Acc.:

»Sed quíd tonitru turbída toruo
Concússa repente aequóra caeli
Sensímus sonere?«

Alii Senecae versus aeque cum Graeco atque Latino exemplari componi posse videntur. Unum ex numero eorum in disputationem vocemus.

Sen. Med. 845 sq.:

»Huc, cara proles, unicum afflictae domus
solamen, huc vos ferte et infusos mihi
coniungite artus«

Similiter Eur. Med. 1069 sq.:

„δότ᾽, ὦ τέκνα,
δότ᾽ ἀσπάσασθαι μητρὶ δεξιὰν χέρα."

et Enn. Med. frg. XIII. 235 sq.:

»saluete óptima corpora!
Cétte manus vestrás measque accipite!«

Hic quamquam non Euripidem aut Ennium Senecae ob oculos versatum esse pro certo velim affirmare, tamen, si subtilius inquiras, pauca Enniano magis quam Euripideo loco respondere videntur. Ut certe quidem Senecae »cara proles« melius ad Ennii »optima corpora« quam ad simplex illud Euripidis »τέκνα« referas; neque scio, an illud »measque accipite« archaici poëtae in Annaeano resonet »infusos.«

Possum plura afferre exempla, ut Sen. Phaedr. 729 sq. ad Enn. Telam. frg. I; Sen. Thyest. 221 sq., 227 sq., 234 sq. ad Acc. Atr. frg. VI. et VIII. Sed ut ad finem perveniamus, duos restat ut inspiciamus locos, ex quibus, Straussi quae sit integritas iudicii, optime illustretur. Legimus enim l. c. pag. 24: »Nullius momenti est consensus Oedipi 86:

haud est virile terga Fortunae dare

cum Acc. Meleagr. frg. XVI:

erat istuc uirile, ferre aduórsam fortunám facul«[1])

Idem Straussius compositis Sen. Herc. fur. 338 sq.:

»nobiles non sunt mihi
avi nec altis inclitum titulis genus,
sed clara virtus«

et Acc. Diom. frg. III:

»Non génus uirum ornat, géneri vir fortís loco«.

»sed praeivit«, inquit, »iam Euripides inc. fab. 1050:

„ἡ φύσις ἑκάστῳ τοῦ γένους ἐστὶν πατρίς.“

Ac primum quidem vocabula genus et virtus non semel a scriptoribus opponuntur,[2]) ut hoc aut illud Senecam imitatum esse exemplar minime inde concludas. Deinde Graecum versum Euripidi vix esse tribuendum apparet e Nauckii TrGrFr ed. II. (1889) p. 710. Immo hic versus quod a quibusdam cum duobus Epicharmi[3]) vel Attici poëtae comici iambis componitur (f. Nauckii Eur. frg. 1113):

„οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ἀποδεδειγμένος τόπος,
ὃς ἢ πονηροὺς πάντας ἢ χρηστοὺς ποιεῖ“

[1]) Mihi quidem facile fieri potuisse videtur, ut Accii »aduorsam« Senecae legenti vox »terga vertere« in mentem venerit, cuius loco posuerit synonymum »terga dare«.

[2]) f. Catonem ap. Gell. X 3, 17; Hor. sat. II 5, 8; Hor. epist. I 20, 22.

[3]) Epicharmi fragmentis versum non ascripsit Kaibelius.

num omnino eundem sensum habuerit quem Senecae locus, iure dubitabimus.

Concludit Straussius Thyestis contemplationem his verbis (pag. 77) ». . . . cum iam pro certo habeamus non imitatum Senecam priorem illum tragicum Romanum, verisimillimum nobis est eum secutum esse eundem auctorem quem Accium, id est Sophoclem. . . . .« Sed ne Euripidem quidem neque Varium putat a Seneca esse neglectos. Ad haec conferas Ribbeckii verba Tr. R. pag. 456:

„Das griechische Original (scil. des Thyestes) auch nur in bescheidener Vermutung zu bezeichnen möchte ich nicht wagen. Vom Atreus des Sophokles sind zwei Trimeter und ein Wort erhalten, die nichts entscheiden. Der allgemeine Inhalt, wie er vermutlich in dem oben mitgeteilten Scholion zu Euripides' Orestes angegeben ist, wird durch die Bruchstücke des Accius nicht durchweg bestätigt."

Atque haec quidem habui, quae dissererem de ratione inter Senecam et antiquas fabulas Romanas intercedente. Quae res mihi satis magna esse videbatur, quam accuratius exponerem. Et recte quidem me fecisse concedes, si Schanzium quoque satis habere cogitabis Straussii dissertationem in hac re afferre; itemque Leo, illius nixus argumentis ne legisse quidem Senecam veteres Romanorum tragicos poëtas aperte postea profitetur in libro, qui inscribitur „Plautinische Forschungen" Berol. 1895 pag. 24 (cf. supra p. 14) et novissime in libro „Die römische Literatur des Altertums" (Kultur der Gegenwart Teil I Abt. VIII) 1905,[1] p. 356. cf. quoque E. Norden, antike Kunstprosa I, 308.

Ribbeckium autem ne postea quidem intellegere potuisse, cur non ipsas veterum Romanorum tragoedias Senecam legisse concedamus, haud scio an inde eluceat, quod haec scripsit:

„Dass dieser selbst (Liv. Andronicus), meinetwegen wiederum in neuerer Gestalt, dem späteren Nachfolger nicht unbekannt war, zeigt die Ähnlichkeit gewisser Szenen und die Übereinstimmung im Wortlaut mit einzelnen Bruchstücken." (Gesch. der röm. Dichtung III, 64). Novissime Liedloffius quoque, quin ex archaicis hauserit Seneca poëtis minime dubitat (cf. l. c. pag. 8; 9; 11; 13 sq.)

Non igitur ad unum exemplar tragoedias Senecam condidisse vidimus neque scio, an hoc et illud ex veteribus Romanorum tra-

goediis haustum sit, quod nunc affinitatem quandam cum fabulis Graecorum habere videtur. Huc maxime Agamemnonem pertinere censeo. Similiter in Medea quoque ceteris fabulis multo maiorem habemus numerum eorum versuum, qui utrum ad Euripidis fabulam sint compositi necne nemo iudex severus audeat diiudicare, si Ennii imprimisque Ovidii fabulam intercessisse cogitet.

Sed ne id quidem omnes consentiunt, quas Graecorum fabulas Seneca sit secutus.[1]) Ut plane taceam de deperditis nobis eorum tragoediis, in Troadibus Andromacham quoque Euripideam Senecam respexisse contendit Braunius.[2]) Quodsi locos ab eo allatos non pro se quemque, sed in orationis contextu legeris, nihil fere restare concedes, quo Braunii niti possit sententia. Versum autem 703, etiamsi non dissimilis est Eur. Andr. 406, aeque ac 960 ad Eur. Hec. 280 referendum esse iam supra monuimus.

Cum porro Wernerus l. c. pag. 37 Senecam in Agamemnone Troadas quoque Euripidis imitatum esse censet, eadem eum audacia in locis componendis usum esse statuimus, quam ipse exprobrat Braunio.

Propius ad veritatem Straussius accedere videtur, qui l. c. pag. 42 et alia et Sophoclis Electram ante oculos Senecam habuisse contendit in Agamemnonis compositione.

Quamquam ne hic quidem negari potest tam generalem esse mutuum consensum, ut, si unum locum excipias[3]), vix de imitatione dici possit.

Ut autem saepe quaeritur, utrum Latinus poëta an Graecus exemplum Senecae praebuerit, ita, ipsius Graecae tragoediae ut duo loci similes in comparationem vocari possint, non semel accidit.[4]) Neque semper facile est alterum utrum praeferre.

---

[1]) Ac Phaedram quidem hic omittimus. Cuius qui fuerint fontes, non solum difficilimum est statuere, sed, cum maximam partem de deperditis agatur exemplaribus, ad nostrum propositum nullius fere momenti.

[2]) »De Senecae fabula, quae inscribitur Troades« Prgr. Wesel 1870, p. 5 adnot. 1. Praeterea de Troadum fontibus disputaverunt: Welcker Gr. Tr. mus. Rhen. suppl. II a, pag. 181; Leo I 172; A. Pais, riv. di filol. XVI (1888) pag. 283 sq.; Antonio Cima, riv. di filol. XXXII (1904) p. 252 sq.

[3]) Sen. Ag. 997 sq. et Soph. El. 379 sq.

[4]) Apud Euripidem haud raro sententias variari monstravit Werner l. c. pag. 23.

Conferas Sen. Phoen. 135:

»frater suorum liberum et fratrum parens.«

ad Eur. Phoen. 1610:

„παῖδάς τ' ἀδελφοὺς ἔτεκον."

et Soph. Oed. tyr. 457:

„φανήσεται δὲ παισὶ τοῖς αὑτοῦ ξυνὼν
ἀδελφὸς αὑτὸς καὶ πατήρ."

Item Herc. fur. 1201: »crimen novercae« cum duobus Euripidis locis componi potest:

Eur. Herc. fur. 1191:

„Ἥρας ὅδ' ἀγών"

et Eur. Herc. fur. 1311:

„οὐκ ἔστιν ἄλλου δαιμόνων ἀγὼν ὅδε
ἢ τῆς Διὸς δάμαρτος."

(Cf. Eur. Hec. 40 sq.; (188 sq.); 220 sq. et Sen. Troad. 195 sq.; 942 sq.)

Persaepe, si contextum versuum sequemur, recte in hac re iudicabimus. Ubi enim res dubia est, spectandum, utrum solus stet versus, an tota series, cuius in ordine continetur, a Seneca sit usurpata. Quod si ita est, non dubitabimus, quin eum habeamus locum, qui in comparationem vocetur. Ut exemplum afferam,

Sen. Oed. 804:

»Regum superbam liberi astringunt fidem«

quominus cum Eur. Med. 597:

„τυράννους παῖδας, ἔρυμα δώμασιν"

componatur, per se nihil impedit.

Sed si considerabimus in versibus et qui antecedunt et qui sequuntur Sophoclem exemplum Senecae praebuisse, versus 804 originem quaeremus in Soph. Oed. tyr. 1022: *„ἡ γὰρ πρὶν αὐτὸν ἐξέπεισ' ἀπαιδία."*

Ob eandem causam Sen. Oed. 813:

»tumore nactus nomen ac vitio pedum«

referendus est ad Soph. Oed. tyr. 1036:

„ὥστ' ὠνομάσθης ἐκ τύχης ταύτης ὃς εἶ"

non ad Eur. Phoen. 26 sq.:)

„. . . . σφυρῶν σιδηρᾶ κέντρα διαπείρας μέσον,
ὅθεν νιν Ἑλλὰς ὠνόμαζεν Οἰδίπουν.“

Haec mihi praemittenda esse putabam, priusquam aggrederer quaestionem, quomodo Seneca usus sit exemplaribus Graecis.

Ac primum quidem statuendum est aliam esse nostri poëtae rationem in Latinis, aliam in Graecis scriptoribus imitandis. Cum enim ex illis totas sententias ad verbum fere exprimere non vereatur, hic »lecta Graeci poëtae fabula novam suo more Seneca composuit suo proposito inservientem.« (Leo I, 159).

Causam si quaeris, Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff haud scio an recte respondeat, cum dicit: »Seneka verachtete die Grammatik und hatte als Römer, Minister und Stoiker für die klassische Poesie der Griechen nicht viel übrig. . . . Aber, als er Tragödien dichten wollte, griff er nach Elektra, Ödipus. . . .[2]) (Euripides Heracles I, 173 adnot. 105).

Attamen non modo leviter attigisse Senecam exemplaria Graeca, sed via ac ratione eis usum esse demonstrari potest. Quod ut appareat, nihil refert summatim exponere, ubi cum Graeca consentiat fabula Romana, ubi ab illa discrepet. Ut Braunius non semel monuit[3]) Senecam modo paucis verbis complecti, quae Graecus poëta late et effuse tractasset, modo ita eum amplificare, ut totae scenae brevi exemplaris sententiae debeantur.

Hoc vero tam universe pronuntiatum in nullo non valet non solum poëta, sed solutae quoque orationis scriptore.

Et quod Pais proprium esse Senecae dicit[4]) narrationes exemplaris Graeci in dialogi (i. e. actionis) formam redigere, ne ab ali-

[1]) Versum 27 deleverunt Valckenaer, Nauck, defendit Porson, haud scio an iure. Ceterum conferas Berl. ph. W. XXIII (1903) col. 678 ad Hes. theog. 143 (ed. Rzach 1902).

[2]) His ex verbis concludas necesse est sola argumenta fabularum Senecam non potuisse non a Graecis repetere. Adde quod idem paulo infra scribit: „wahrscheinlich hat er noch viel mehr gelesen; von den römischen Tragödien natürlich nur die beiden der augusteischen Zeit, nicht die barbarischen Übersetzungen des 2. Jahrhunderts.“. Quae si amplecteris, vel ob eam rem summa laude Seneca dignus esse videbitur, quod nihil fere ab aliis mutuatus est, mirum quantum de suo deprompsit.

[3]) Vide mus. Rhen. XX. (1865) p. 267 sq. et XXII. (1867) pag. 248.

[4]) Il teatro di L. A. Seneca p. 99 (»Conclusione«).

orum quidem consuetudine poëtarum illud abhorrere satis constat. Quid enim aliud est magnam partem ipsa Graecorum tragoedia atque epicorum carmina in usum scenae conversa?

Nobis igitur, si quid certi volumus statuere, in singula opus est inquirere. Proponendum censeo, quod Leo atque Braunius obiter perstrinxerunt his verbis: „. . . . verschiedene kleine Züge, die dieselbe Manier verraten, wie die bei Bearbeitung der griechischen Originale befolgte, durch Änderung nämlich den Schein des Neuen zu erwecken.“ (Braun mus. Rhen. XXII (1867) p. 174); »volens sciensque, ut saepe, contrariam effecit Seneca« [scil. Deianiram a Sophocle] (Leo I, 73).

A talibus Braunii criminibus — non enim plena laudis esse, quae ille dixit, facile concedes — Lindskogius Senecam defendere conatur. Qui cum rem ipsam negare non possit, tamen longe aliis de causis ait Senecam esse eo adductum, ut saepius discederet ab exemplari Graeco. Corrigere illum voluisse atque emendare, quae Graeco minus prospere evenissent poëtae, ut nihil aliud in ea re habeamus apud Senecam nisi — ipsius Lindskogii verbo liceat uti — „eine Kritik der Originale“.[1]) Quod vero Lindskogius l. c. p. 11 concedit Senecam ea, quae semel mutuatus sit, non constanter ad finem perducere, ipse opinionem attenuare videtur, ne dicam infringere. Tales enim locos, qui a versibus poëtae Graeci a Seneca immutatis discrepant, vocat „Überbleibsel von dem Originale“. Atque ego quidem Senecam non tam hebetis ingenii fuisse censeo scriptorem, ut, quae in exemplari Graeco viliora cognovisset, ea emendaret, quaecumque inde manassent, non item mutaret. Ceterum Lindskogius ipse, quae quis contra dixerit, affert l. c. p. 14. Nec scio, an non possint stare quibus firmare studet sententiam suam argumenta. Sed quid plura! Singuli percensendi ad Graecas fabulas loci conscripti et inde conclusio facienda.

[1]) Claes Lindskog, Studien zum antiken Drama, Lund 1897; II, 7.

